

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Examen Somnii Uxoris Pilati, quo ad examen juventutis Scholasticæ in Classis primæ Auditorio diebus 28. & 29. Martii [1735] instituendum & ad orationes nonnullas benevole audiendas Mæcenates, ...

Herbart, Johann Michael

Oldenburgi, [1735?]

VD18 13105140

[Examen Somnii Uxoris Pilati, quo ad examen juventutis Scholasticæ in Classis primæ Auditorio diebus 28. & 29. Martii [1735] instituendum & ad orationes nonnullas benevole audiendas Mæcenates, ...

urn:nbn:de:gbv:45:1-19513



Differtatiunculam , qua publicum Scholæ nostræ examen indicerem , scripturus , in eligendo argumento ut eo expeditior essem , temporis rationem mihi habendam esse , existimavi . Eo igitur consilio historiam de acerbissima sospitatoris nostri passione atrocissimoque mortis genere perlustrans hæsi in Somnio uxoris Pilati , cujus solus Evangelista Matthæus mentionem facit , totam rem uno versiculo complexus Cap : XXVII , 19 . καθήμενος δὲ αὐτῷ ἐπὶ τῷ βήματι , ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν ἡ γυναῖξ αὐτοῦ λέγουσα . Μηδὲν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκεῖνος πολλά γὰρ ἔπαθον σήμερον κατ' ὄναρ δι' αὐτόν . quæ verba Lutherus ita transtulit : Und da er auf dem Richtstuhl sass , schickte sein Weib zu ihm , und lies ihm sagen : Habe du nichts zu schaffen mit diesem gerechten ; ich habe heute viel erlitten im Traum von seinet wegen . Matthæum propterea hæc referre , ut nullius probri compertum fuisse Christum , doceat , ex orationis nexu facile intelligere possumus . Pilatum ita censuisse , perhibet vers. præc. 18 . ejusque uxorem idem sensisse demonstrat v. 19 . Cujus autem generis fuerit somnium , quod marito nuntiat uxor , plane non definit Evangelista . Definire igitur potest pro suo quisque ingenii modulo . Idem mihi liberum esse , nullus dubito . Prius autem , quam , quæ mihi arrideat sententia , explicem , paulo altius atque a fundamentis rem repetendam statuo , & quidem iis , quæ sequuntur , annotationibus .



I. Quod si ad ea, quæ in nobis geruntur, probe attendimus, nos non ea solum, quæ sensibus subjacent, percipere, sed etiam olim percepta, licet jam sint absentia, nobis repræsentare posse, deprehendimus. Qui aliquando spectavit comoediam, longo post tempore omnem theatri apparatus, actores, eorumque varios gestus, itemque spectatores quasi coram potest intueri. Exinde vero patet, animæ nostræ quandam inesse vim, quæ rerum absentium imagines sibi repræsentare valet. Atque hanc vim nominamus imaginationem. Cum igitur in somnio res a sensibus longe remotæ menti objiciantur, somnium ab imaginatione dependere, nullum est dubium. II. Hanc animæ vim multo fortiorem experimur, cum eo tempore, quo quid nobis imaginaturi sumus, vel paucis, vel plane nullis rebus extra nos positis sensus afficiuntur. Milites in aciem collocati inter tormentorum sonitum, tympanorum pulsus, tubarumque clangorem, vix ac ne vix quidem res absentes mente sibi concipere poterunt. Pœtæ contra, placida atque obscura nocte, in tranquillo loco, ab hominum consortio remotæ efficacissima imaginandi gaudebunt facultate. Cum itaque in somno tenebris non solum obuoluti omnimoda quiete fruamur, sed et organa sensus penitus quasi obliterata sint, adeo, ut nulla ferme externa objecta illabi queant; mirum non est, imaginandi vim tunc validissime sese exserere, ita, ut somniantes persuasum nobis habeamus, res menti obversantes vere adesse, unde etiam iidem corporis animique motus in nobis existunt, qui proprii sunt vigilantibus res sensu percipientibus. III. Experientia constat, si qua pars earum rerum, quas olim simul vidimus, audivimus,

bono a

25

mus,



mus, gustavimus, sensus denuo afficiat, totam istarum rerum perceptionem integram in mentem redire, e. g. Spectamus principis cujusdam convivium, studiose contemplantes omnes convivas, eorumque dignitatem ac habitum, cibi potusque varietatem, aures animumque advertentes eorum sermonibus. Interjecto aliquo tempore, quin sæpius post multorum annorum spatium forte occurrit nobis pedisequus, quem olim principis mensæ administrantem vidimus. Tum vero totum illud convivium ante oculos nobis poni, animadvertimus. Hinc reddi potest ratio, qui fiat, ut in somnio sæpius conviviorum, chorearum, spectaculorum, præliorum effigies offerantur animo. Si nimirum in somno, minima saltem sensatione, unica idea excitatur, omnes simul aliæ ideæ cum hac olim conjunctæ imaginationis vi resuscitantur. IV. Longius autem adhuc procedit imaginatio. Unica idea per sensus producta, innumeræ aliæ, una per alteram, quas inter aliqualis tantum intercedit similitudo, vi imaginationis, sensim sensimque, præsertim lusu hoc nullis externis objectis per sensationem interrupto, reproducentur. En rei obscuræ exemplum clarum! Dum primo vespere, omni labore & cura vacui ad fenestram stamus, prætereunt nonnulli congerrones, quorum unus Regis Galliæ forte mentionem facit. Hujus ideæ occasione imaginatio non solum totum præsentis belli theatrum menti repræsentat, sed per idearum etiam combinationem tandem ad ea progreditur, quæ nullum plane inter se nexum habere videantur. v. g. Regis Galliæ idea trahit secum Stanislai imaginem; quo ipso momento Rex Suecorum Carolus XII. nobis sistitur. Cum hoc

vero Banderam contendentes inter multas Turcarum cohortes versamur. Ibi vero non potest non eorum Imperatoris idea prodire, qui nos confestim Constantinopolin rapit. Constantinopolis in memoriam revocat Constantinum M. Cum hoc petimus Romam, ibique Ciceronem pro rostris dicentem audimus. Progredieremur longius, sed adest aliquis, qui nos avocat, atque ita imaginationis filum rumpitur. Quomodo quæso idea Gallorum Regis cohæret cum idea Ciceronis? Idem animadvertere licet in amicorum colloquiis, quibus ad finem perductis sæpe quæritur, qua ratione in hos illosve delapsi fuerint sermones, qui nullam inter se habere videntur similitudinem. Retrogressi autem & omnia decurrentes capita facile perspiciunt, unam ideam per aliam vi imaginationis suscitata fuisse. Annon etiam in somnio eodem modo res se habere crederes? In mentem mihi venit recordari, multos vehementer commoveri ejusmodi somniis, quibus res vel ante decennium peractæ & dudum oblivioni traditæ ipsis denuo, neque opinatis, repræsentantur. Si vero boni isti homines probe perpenderent, quam mirifice sæpius vigilantes de rebus jam dudum gestis somniant, idem ipsis dormientibus, cum imaginandi vis longe fortius agit, accidere posse, facile concederent. V. Quisque animadvertit, se imaginandi facultate ideas simplices multipliciter combinare, atque hac ratione novas & plane ignotas neque ullibi existentes formas producere posse. Ex hoc fonte Gulliverii Lilliputiani, Brobdignaci, insula pensilis etc. promanarunt. Quid? quod omnia Pœtarum figmenta, ædificiorum delineationes, insignia, monetæ; nec minus entia rationis, velut
equi

equi alati, homines anguipedes &c. imaginationi suam debent originem. Ex hoc vero vel prodigiosissima somnia explicari posse, quis non intelligit? Ne igitur mireris, cum per somnum tibi offeruntur homines semiferi, vel cornuti, vel mortui e sepulcro tecum confabulantes, vel in ædibus sacris convivantes & saltantes. VI. Observandum denique, animam nostram, quemadmodum in sensatione, ita etiam in imaginatione sequi statum cerebri. Febri enim ardente, vel temulentia, vel læsione cerebri imaginationem turbari, fugit neminem. Ideis igitur materialibus in cerebro productis perceptiones ad imaginationem spectantes respondere, statuamus necesse est. Hinc patet, unde eveniat, ut certis temporibus somniis magnopere cruciemur, alio vero tempore placido somno fruamur. Oritur nimirum hæc diversa ratio ex diversa succi nervei aliorumque humorum qualitate. Omnia igitur somnia, quæ hoc modo se habent, dixeris Naturalia. Quæcunque autem cum iis, quæ hæctenus annotavimus, non conveniunt, eorum ratio in natura animæ non continetur, ideoque sunt Supernaturalia. Diabolum ejusmodi somnia producere posse, penitus negare non ausim, ideo, quod et essentiam et operationes spirituum non satis perspecta habeamus. An vero extent exempla, illi sciant, qui id evincere student. In medio hæc relinquimus, ad ea progredientes Supernaturalia somnia, quæ Deum autorem agnoscunt. Quænam ea sint, ipsa eorum natura nos luculenter docet. I. Contineant revelationem rerum vel præteritarum, vel præsentium, vel futurarum, quæ homini neque ex experientia, neque ex ratione perspectæ esse possunt. II. Cum vir sapiens, quicquid agit

agit, certum sibi eumque bonum finem proponat, Deum sapientissimum, dum somnium efficit, certum eumque optimum finem sibi præscribere, nec minus autem III. ea eligere sibi media, quæ ad finem obtinendum ducunt, credamus, par est. IV. Aut ipse Deus hominem, cui per somnium, quæ ab ipso fieri, vel ipsum scire velit, indicat, interno testimonio de divina operatione certiore reddere, aut aliquis divina virtute instructus præsto esse debet, qui somnium interpretetur, atque adeo a Deo profectum esse, re ipsa commonstret; aut, si utrumque forte desit, eventus rei in somnio repræsentatæ, supernaturale illud fuisse, declarat. Hisce regulis omnia divina somnia sacris prodita litteris accommodata esse, illi, qui rem paulo accuratius perpenderit, nullum erit dubium. Duobus saltem exemplis Abimelechi & Pharaonis illud explanare mihi liceat. 1. Abimelechus Rex Gerarenfis, Saram Abrahami uxorem esse, plane ignorabat. 2. Finis somnii erat, ut Abimelechus a contactu uxoris alienæ cœerceretur, eaque intacta marito restitueretur. 3. Noverat Deus, finem hunc per somnium posse obtineri, id quod rei exitus abunde confirmavit. 4. Abimelechus simul interna quadam luce convictus divinum somnium esse, certissime erat persuasus. Pharaonis quidem somnium per se consideratum naturali imaginandi facultate exoriri potuisset; quatenus vero illud ipsum somnium futuram annonæ tum vilitatem tum caritatem delineabat, illius rationem in natura animæ non contineri, satis liquet. 2. Scopus erat Iosephi exaltatio, totiusque gentis Israeliticæ in frumenti inopia sustentatio. Neque. 3. Fine suo excidisse hoc somnium, rei eventus testatur. & licet 4. Pharaoni,

oni, Deum illius autorem esse, non certo constaret, vel saltem, quid eo significetur, ignoraret, en Iosephus aderat divinus ille somniorum interpret. Nostri temporibus somnia hisce in omnibus similia reperiri, non satis constat. Illud vero permulti fide dignissimi affirmant, sæpe ea evenisse, quæ ante aliquot dies vel menses, eadem facie, eodemque ordine, per somnum ipsis fuerint objecta. Cum singularia testimonia allegare non audeam, fingere mihi liceat. Titius per somnum, inter formidolosum strepitum, in summas adactum se sentit angustias, mox vero, animo rursus tranquillato, fimum ex ædibus sacris evehi, videt. Expergetactus, naturale plane hoc esse somnium, existimat. Post aliquot menses hostes irruptionem faciunt, omnes incolas in angustias adigunt, ædes sacras in equile convertunt. Annon Titius crederet, idem hoc esse, quod ipse ante aliquod tempus in somnio præviderit? Futura autem contingentia, quorum causas præsertim ignoramus, tanto ante prævidere an naturaliter possit anima, valde dubito. Non equidem nescio, multos ad vim quandam animæ naturalem, quam divinatricem appellant, hic recurrere; sed annon V. & N. Test. vaticinia, quibus religionis nostræ veritas maximam partem nititur, hac ratione labefactentur & eludantur, ipsi iudicent. Iam vero, quid de somnio uxoris Pilati, ad quod cuncta in medium allata tendunt, sentiendum sit, intellectu haud erit difficile. Mulierem istam naturali modo de Iesu somniare potuisse, inde constat, quod illius personæ, doctrinæ, rerumque præclare gestarum haud ignara fuit. Ea ipsa autem nocte id accidere potuisse, ex rebus circumstantibus sole meridiano clarius elucere

B

ar-



arbitror. Salvatorem nostrum multo mane, inter armorum strepitum, tanquam reum ad Procuratorem Pilatum adductum fuisse, novimus. Pilato igitur somno excitato cum id significaretur, uxori quoque dubio procul innotuit. Pilatus ad iudicii locum secessit, uxore in lecto relicta. Quid verò illa? Nonne crederes, quæ gererentur, sollicito perpendisse animo? Clerum Iudæorum odio atque invidia ductum tam nefandum iniisse consilium, conjectura assequi facile potuit. Pilatum ea de re persuasum fuisse, Evangelista expresse dicit. Quis quæso, uxorem idem sensisse, negaverit? Ea itaque cum hæc omnia volutaret animo, simul verita, ne maritus, causa non satis cognita, Iudæisque acriter instantibus, durius quid in innocentem Iesum statueret, hisce cogitationibus tandem indormivit. Mane enim id, cum Pilatus cubitu jam surrexisset, factum esse, patet primum ex voce *σήμερον*, tum vero inde colligere possumus, quod, si nocturnum fuisset somnium, procul dubio statim narrasset marito expergefacto, antequam iudicii locum peteret. Quæ quidem omnia ita comparata sunt, ut nulla ratione iis, quæ supra de naturalibus somniis, experientia duce, annotavimus, repugnent, adeoque naturaliter ejusmodi somnium in mente uxoris Pilati produci potuisse, demonstrent. Curiosius autem inquirere, quænam ea fuerint, quæ per somnum tam graviter mentem illius agitarunt, nihil aliud esset, quam somnium dormientis per somnium vigilantis explicare. Interim mihi quidem non mediocriter sese commendat conjectura Sagittarii in Harmon. Pass: Christi pag: 567. ubi ita scribit: *Forsitan itaque somniavit, Iesum, cujus doctrina & miracula ei non poterant esse ignota, offerri, ut mortis sententiam in eum statuatur, ac maritum quidem patrocinium innocentis pri-*

Primum suscipere, postea vero Iudæorum clamoribus permotum voluntati eorum morem gerere atque hoc nomine graviter a Deo puniri, quibus malis, que maritus videbatur pati, ipsa quoque gravissime turbata atque afflicta fuit. Eam vero expergetactam de hac visione admodum fuisse sollicitam, mirari minime debemus. Erat enim mulier, erat mulier ethnica, idcoque superstitiosa. Apud Paganos autem matutina inprimis somnia maximi videbantur esse momenti, teste Horatio Satyr. Lib. I. Sat. x. v. 32. & 33.

——— *Vetuit me tali voce Quirinus,*

Post mediam noctem visus, cum somnia vera.

Superest jam, ut probemus, somnium mulieris cum regulis, ad quas supernaturalia somnia exigenda sunt, nequaquam congruere, nec propterea in horum numerum esse referendum. Nimirum non legimus, ejusmodi res per somnium ipsi fuisse objectas, quas naturaliter scire non potuerit. Neque ulla sufficiens afferri potest ratio, qua Deus permotus fuerit, ut in re tam ardua tam obscurum ederet miraculum. Fortasse somnium istud testimonium esse debebat innocentiae Christi. Omnino inde elucet Christi innocentia, eamque ob causam Evangelista hæc refert, ut & Pilatum & uxorem ejus de innocentia Iesu persuasos fuisse, nos doceat. Sed per miraculum factum id esse, quo minus credam, divina deterreor majestate. Adeone nullum aliud innocentiae Christi præsidium ab omnipotenti Numine expectari poterat, quam somnium mulieris, quod Iudæis risum tantummodo excitaret? Mulier visa somnii sui a Deo protecta esse, prius probare debebat, quam a Iudæis ipsi fides haberetur. Unde vero illud evincere potuit? At divinitus, inquis, monita fuit mulier, ut maritum de-

b 2

horta-

hortaretur ab injusta sententia. Si somnium naturale fuisse statuas, valet utique hæc ratio, quin imo ipsa mulieris verba: *Nihil tibi cum justo illo*, illud luculenter demonstrant. Si vero divinum hic somnium tibi fingis, ratio illa vix locum inveniet. Nonne ab omni æternitate Deus decreverat, ut æternus filius humana indutus forma, sub Pontio Pilato afficeretur supplicio? Quomodo igitur ab immutabili isto decreto discedere potuit? Discessisset autem, si Pilatum a ferenda sententia, per somnium uxoris, deterre-re voluisset. Finge autem, Deum id intendisse. Sed quare non obtinuit? Fortasse non potuit? Sane ut ita de summo Numine sentiam, a me impetrare nullo modo possum. Deest insuper internum testimonium, quo mulier & quidem mulier ethnica verum Deum ignorans de divinitate somnii certa esse potuit. Si qua divini testimonii criteria, adfuerunt, quare non significat? quare non dicit, verum Deum, Deum Israelitarum, quem antea ignorasset, ipsi vitum esse in somnio? Verum, inquis, extant plura in sacro codice exempla gentilium, quibus Deus per somnum voluntatem suam patefecit, nulla accedente interna mentis convictione, quæ illos de divina somnii origine certos redderet. Age sit ita factum! Nonne vero aderant divini vates, qui, quæ velint sibi somnia, interpretarentur? Tales vero somnii uxoris Pilati interpretes frustra quæres. Sed pergis, mulierem fortasse in somnio Christum, inter duos latrones, cruci affixum, percusso latere, vel maritum Viennam Gallorum relegatum, seque ipsum interficientem, vidisse. Hoc quidem si verum esset, utique fateor, supernaturale ac divinum fuisse somnium. Cum vero, unde probari possit, non intelli-

gam,

gam, rationes antea a me allatae obstant, quo minus plurimis commentatoribus, qui supernaturale hic odorantur somnium, hac in causa assentiar, quamvis, quemadmodum ad omnes & singulas causarum secundarum actiones & motus Deus concurrit, ita ad hunc quoque effectum producendum concurrisset, libentissime confitear. Plane autem abhorreo ab opinione quorundam Patrum & recentiorum Pontificiorum, qui Diaboli terriculamentis percussam arbitrantur mulierculam, quo maritum a caede deterreret, adeoque, morte Servatoris impedita, salus impediretur hominum. Sicuti autem alios hac in re errare, opinor, ita me ipsum falli potuisse, aperte fateor. In republica litteraria, praeter divina eloquia, solam rationem agnoscimus judicem, quem omnes sibi favere arbitrantur.

Sed fatis de somniis, eorumque examine, in quibus, scilicet iis, quae sunt mere naturalia, omnia fiunt absque ratione. Progredimur jam ad examen scholae nostrae, cujus alumnos omnium actionum suarum rationes reddere, & se non somniasse, sed vigilasse, certissimis documentis probare oportet. Huic exercitationi dicati sunt dies 28 & 29. Martii. Palæstram priori die hor. 8. matutina aperient Class. I. Auditores, solertissimi, & veri virtutisque studio mirifice ardentes, adeoque eximiae spei, juvenes, e cathedra, per unius horae spatium, dicentes de *Bello*, quod utinam non esset ens verum sed rationis inter somnia referendum! Supervacaneum esset, B. L. multis docere, quare Musarum filiis pacis studiosis horrentia Martis arma canere, in praesenti placeat. Maximam hi nobiscum Europae partem bello jam flagrare vident, omnia ubique armis resonare audiunt. Loquuntur igitur de iis rebus, quibus sensus,

b 3

quibus

quibus imaginatio, quibus sermones omnium jam detinentur. Ego quidem ista cruenta materia prudens me abstinui, & potius somniis, quam armis animum recreare volui. Id quod simul commode explicat naturam somnii. Hujus enim idea cum idea belli plane non cohæret, una tamen per alteram excitari potest interveniente idea temporis, cujus & ego & perorantes rationem habuimus. Prodeunt igitur

- I. IOH. CHRISTOPH. von OETKEN Oldenburgensis, Regii Status Consiliarii filius natu maximus, *internam belli naturam ejusdemque varia genera expositurus idiomate latino.*
- II. NICOLAUS SCHLUSING Ottersberga-Bremenfis, Publicorum Curforum Præfecti filius superstes, *bellum per se consideratum neque rectæ rationis, neque revelationis principiis niti, sed a supina legis naturæ ignorantia, omisso rationis cultu atque hinc proficiscente voluntatis perversitate suam traxisse originem, eodem sermone demonstraturus.*
- III. HERO ANTON. IBBEKEN Oldenburgensis, Superint. Gener. & Regii Consist. Consiliarii filius natu minor, *Bellum gerere Christianis pro rerum statu, non solum licitum, sed prorsus necessarium esse, evicturus, sermone itidem latiali.*
- IV. FRID. AUGUST. DETSHELIUS Huntloseno-Hannoveranus Pastoris filius unicus *de variis damnis ac miseriis belli germanice verba factururus.*
- V. FRID. GEORG. DETMERS. Oldenburgensis, Regii Iustitiæ Consiliarii filius tertius *Belli commoda eadem lingua delineaturus, simulque pro incolu-
mitate*

mitate Regis & flore regni ardentissima vota sub-
juncturus.

Ante omnia autem Benevolos Auditores scire volo, omnes hasce oratiunculas a discipulis ipsis excogitatas, dispositas atque elaboratas fuisse. Instituitur enim ejusmodi exercitium, non, ut ego eruditionis specimina edam, sed, ut discentes profectus suos Mæceniis probent. Loqui igitur debent hominum, non pſittacorum more, quem suum faciunt hi, qui Declamationes a præceptoribus effictas recitant. Sermonibus balbutientis infantis delectantur parentes. Scholæ nostræ alumni hujus urbis Proceres, Musarumque Antistites parentum loco habent; iis igitur linguam etiam balbutientem acceptam fore, sibi persuadent. Idem & ego spero, atque ea spe fretus omnes ac singulos, qui Musas tuentur & amant, ut & oratiunculis patientes benevolasque aures accommodare, atque in examine juvenum mentes alacriores reddere velint, submisse, reverenter, officiose atque humaniter etiam atque etiam rogo.



